

subterretur, cum ad monasterium. » 6. h. t. Intellige, si est in gravi quantitate sufficiente ad peccatum mortale. Herinx, loc. cit. n. 97. quia hæc pœna infligitur « in signum perditionis, seu æternæ damnationis, » quæ non nisi per peccatum mortale incurritur. Nec tamen tota substantia, quam vitio proprietatis possedit, sed aliquid tantum de illo cum eo sepeliendum est in sterquilinio, ut bene in cit. c. 6. h. t. advertit Joan. Andreas, Abbas, n. 15; Sanchez, et alii. Neque incurrit hanc pœnam ii, qui proprietarie expendunt, vel consumunt, sed qui retinent; quia de his solis, et non de illis lex loquitur, quæ utpote pœnalis et odiosa non est extendenda, c. *Odia de Reg. jur.* in 6; Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. xx. n. 11; Herinx, loc. cit.; Pirhing, h. t. n. 8. et alii.

22. Secunda pœna proprietarii est privatio vocis activæ, et passivæ per biennium, concil. Trident. sess. 25. *de Regular.* cap. II. Verum hæc pœna non tantum proprietarios, sed et illos comprehendit, qui etiam de licentia superiorum contra paupertatem aliquid tenent; prout patet ex ipso concilio loc. cit. ubi postquam plura paupertati contraria emanavit, statuit, « quod si quis aliter quidquam tenere comprehensus fuerit, is biennio activa, et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta regulæ, et ordinis constitutiones puniatur. »

23. *Quid juris de legatis factis religioso hac conditione, ut ad eum, et non monasterium pertineat?* — Quæritur III. Quid juris in casu, quo aliquid alicui religioso in particulari legatur, aut donatur ac conditione, ut ad eum, et non ad monasterium pertineat? Resp. I. Hujusmodi legata, aut donationes intelligendas esse juxta conditionem personæ, videlicet de solo usu, ac de licentia superioris ad nutum revocabili. Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. xvii, n. 4; Engel, h. t. n. 3. et communis aliorum, arg. l. *Plenum. § Equitii. ff. de Usu et habitation.* Ratio est, quia voluntas testatoris pro possibili semper ita explicanda est, ne careat effectu, et pereat ejus voluntas, ut bene observat Jason, in l. *Quoties.* n. 2. ff. *de Verb. obligat.* et alii.

24. Resp. II. Si religioso in particulari aliquid legatur expressa conditione, ut etiam dominium ad eum pertineat, vel ut usus illius independentem a licentia superioris, vel irrevocabiliter ei, quandiu vivit, permittatur, habetur conditio pro non adjecta,

ac pertinet legatum ad monasterium. Sanchez, loc. cit. n. 11; Jason, in Authen. *Ingressi.* n. 37 et 39. c. *de SS. Eccles.* Baldus, in c. *Clerici,* in fine, *de Judiciis,* et alii. Ratio est, quia talis conditio est turpis, utpote repugnans paupertati promissæ; turpis autem conditio habetur pro non adjecta, textu expresso § *Impossibilis Institut. de Hæredib.* Institut. et amplius diximus, tit. XXVI. *de Testam.* n. 441. ubi vide.

25. Resp. III. Si sub præfata conditione aliquid in vivis datur religioso, irrita est donatio, nec donatum accipi potest etiam de licentia superioris. Sanchez, loc. cit. n. 12. et alii ab eo citati. Ratio est, quia licet conditiones turpes legatis appositæ habeantur pro non adjectis, nec vitient legatum, juxta dicta, n. præced. tamen secus est in contractibus inter vivos, utpote in quibus turpis conditio adjecta vitiat totum contractum, arg. tot. tit. ff. *de Condit. ob turpem causam,* et l. *Impossibilis.* 7. ff. *de Verb. obligat.* Et hæc distinctio inter legata et donata religioso sub conditione turpi, et impossibili, bene est notanda.

Reliqua de voto paupertatis vide apud doctores citatos supra n. 52. utpote qui ex professo copiose scribunt de tribus votis religionis, præsertim de paupertate, quod idem faciunt regularum expositores. (ADNOTATIO XVII.)

§ II.

DE CLAUSURA REGULARIUM, TAM VIRORUM, QUAM MONIALIUM.

26. *Clausura monasterii, quid?* — Quæritur I. Quid sit clausura monasterii regularium, tam virorum, quam monialium? Et quæ comprehendantur sub ea? Resp. Clausura monasterii est totum illud spatium, quod ambitur et clauditur muris, parietibus, seu septis monasterii: unde quidquid in illo continetur, nomine *Clausuræ* venit. Navarrus, *de Verb. signif.* lib. V, n. 3; Sanchez, lib. VI. *Moral.* c. xvii, n. 12; Hyacinth. Donatus, tom. I, tract. III, q. 1. ac in re communis, patetque tum ex c. *Exit qui seminat. de Verb. signif.* et decreto Clementis VIII. edito super reservatione casuum; ubi inter casus reservatos numeratur egressus illicitus extra « septa monasterii seu conventus, » id est extra clausuram.

27. *Et quæ veniant ejus nomine? Sacristia*

§ II. DE CLAUSURA REGULARIUM, TAM VIRORUM, QUAM MONIALIUM. 89

et chorus quando sint de clausura. — Infertur non tantum ipsum monasterium, ejusque officinas et habitacula interiora, sed etiam hortos monasterio contiguos, inter præfatos muros, seu septa existentes, quo distractionis gratia se regulares conferunt, et quidque intra eodem septa existit, sub clausura comprehendendi, ut bene docet Sanchez, loc. cit. n. 14; Hyacinth. Donatus, loc. cit. q. 11. et communis aliorum. Idem est de sacristia, si intra dicta septa existit, vel ab eis immediate pateat aditus ad eam; secus vero si extra septa existens soli Ecclesiæ sit conjuncta, ab eaque immediate pateat aditus ad illam: quod idem de choro dicendum. Hyacinth. Donatus, loc. cit. q. 12; Pelliz. tom. I, tract. V, q. 31; Bonacina, q. 9. *de Clausura.* p. 1. et alii. Quamvis valde decens sit, ut per superiores etiam in præfato casu sacristia clausuræ annumeretur; licet enim superiores ordinum clausuram necessariam, seu a jure jam determinatam, pro libito aliter determinare, declarare, aut variare non possint, consequenter non facere, quod locus aliquis v. g. hortus intra septa conventus existens, non sit de clausura, possunt tamen ea loca, quæ de rigore juris sub clausura non sunt, vel de quibus dubium est, uti sunt sacristia v. g. chorus, etc., pro eadem determinare ac declarare, uti loc. cit. bene docet Pelliz. Hyacinth. Donatus, et alii.

28. *Moniales gravissime prohibentur egredi et clausura.* — Quæritur II. An, et quanta sit obligatio clausuræ monialium quoad egressum? Ante responsum notandum duplicem considerari obligationem in clausura tam virorum quam mulierum: unam quoad egressum eorum, alteram quoad ingressum aliorum in eandem. Et quia clausura monialium strictior est, ac in jure magis præcepta, prius de hac, postea vero de clausura virorum loquemur. Resp. I. Omnes et singulæ moniales gravissime obligantur ad clausuram quoad egressum, ita ut mortaliter peccet, et ipso facto excommunicationem incurrat, quæ sine justa causa, et legitima licentia clausuram egreditur. Unanimis, ob clara jura c. un. *de Statu regular.* in 6; ibi: « Præsentem constitutionem perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus universas et singulas moniales præsentem et futuras, cujuscunque religionis sint, vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cæ-

tero permanere clausura, ita quod nulli earum religionem tacite, vel expresse professæ, sit, vel esse valeat, quacunque ratione vel causa (nisi forsitan tanto, vel tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari) monasteria deinceps egrediendi facultas. » Quam constitutionem de novo innovavit, et confirmavit concilium Tridentinum, sess. 25, cap. v. *de Regular.* cujus tenorem, quia sæpius citandus erit, hic ponimus « Bonifacii VII. Constitutionem, quæ incipit *Periculoso*, renovans sacra synodus universis episcopis sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis apostolicæ auctoritate clausuram monialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes, atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quod auxilium, ut præbeatur, omnes christianos hortatur sacra synodus, et sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus sæcularibus injungit. Nemini autem NB. sanctimonialium liceat, post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda: indultis et quibuscunque privilegiis non obstantibus, » etc.

Idem, et quidem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ statuit Pius V. in constitutione *Circa pastoralis*, quæ est ordine 8. in *Bullar. Cherub.* ubi in declaratione subjuncta, quæ incipit *Decori.* § 2. ita statuit: « Aliter autem, quam ut præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non comitantes, ac earum receptrices personas, sive laicas aut sæculares, vel ecclesiasticas consanguineas, vel non, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso, absque alia declaratione subjacere, a quo præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeat. Et insuper tam egressas quam præsentem, et alios superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, et administrationibus, per eas, et eos, tunc obten-

tis privamus, et illas, et illos ad obtenta, et alia in posterum obtinenda inhabiles declaramus.» Accedit idem statuens constitutio Gregorii XIII. *Deo sacris*. ordine 8. in *Bullar. Cherub.*

29. *Incendium et morbus communitati periculosus sunt causa egrediendi.* — Quæritur III. Ob quas causas, et per quos dari possit monialibus licentia exeundi e clausura? Resp. I. Plures esse causas, ob quas monialibus dari potest licentia e clausura exeundi. Patet inductione, sic imprimis talis causa est « morbus alicujus monialis ita contagiosus, » ut aliæ sine scandalo, vel infectionis periculo eum ea commorari nequeant. Omnes, claris juribus c. un. *de Statu regular.* in 6. per textum citatum n. præced. hujusmodi morbus est lepra, aut epidemia, pestis, etc. ut declaravit Pius V. citatus n. præced. Secunda causa est magnus incendium, prout eodem loco idem declaravit Pius V. Et quamvis ibidem addat, quod ob nullam aliam causam, quam ob prædictas, « nullaque alia occasione, vel prætextu, etiam infirmitatis » dari aut obtineri valeat licentia clausuram egrediendi; et idem dicatur cit. c. un. *de Statu regular.* in 6. « Quacunque ratione, vel causa alia egrediendi sit factas. »

30. *Ac causæ his similes.* — Nihilominus etiam ob alias æque graves, vel graviores causas licentia exeundi dari, et obtineri potest. Roderiquez, tom. I, q. 49, a. 3; Navarrus, in can. *Statuimus*. can. 49, a. n. 46, et in c. un. *de Statu regular.* in 6; Sanchez, lib. VI, *Moral.* cap. xv; Pirhing, h. t. n. 34; Hyacint. Donatus, tom. IV, tract. IV, q. 2; Layman, lib. IV, tract. IV, cap. XII, n. 1, et plures alii, contra non paucos alios. Ratio est, quia de similibus idem est iudicium c. *Translato. de Constit.* et « ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio, » ut ait Glossa, in l. *Illud. ff. ad Legem Julian.* Nec obstat clausula seu dictio *taxativa*, in c. un. *de Statu regular.* in 6. et a Pio V. citato n. 28. posita: tum quia concilium Tridentinum citatum n. 28. universaliter loquitur « de causa legitima per episcopum approbata: » tum quia præfata dictio *taxativa* non excludit casus similes, et urgentiores, uti ex utroque jure late demonstrat Navarrus, loc. cit.; Sanchez, loc. cit.; Donatus, loc. cit.; tum quia ita habet praxis et consuetudo passim vigens, quæ est « optima legum interpretis, » l. 37. ff. *de Legibus.*

31. Hinc tertia causa egrediendi esse potest casus urgentis incursionis hostilis, præsertim hæreticorum et infidelium, ex quo magnum damnum imminet monasterio vel communitati in bonis fortunæ, vel corporis, nisi fugiant. Ita doctores citati cum communi aliorum. Quarta esse potest aquarum inundantia monialibus periculosa. Quinta, si quæ monialis alibi eligatur abbatissa, vel superiorissa, aut ad fundandum novum monasterium alio mittitur. Sexta, universaliter quoties bonum commune urget egressum, vide apud doctores citatus, et Gutierrez, lib. I, can. qq. q. 14; Suarez, Graff. *Dianam*, et alios.

32. *Infirmas uni tantum moniali periculosa est causa egrediendi.* — Num autem etiam ob similes, vel graviores, præter expressas a Pio V. causas, concedi possit egressus, si non bonum commune, sed solum particulare alicujus monialis urgeat? v. g. si monialis sine periculo infectionis aliarum ita infirma sit, ut nisi egrediatur curari in monasterio nequeat, sed mori debeat, gravis est controversia inter doctores; Sanchez, siquidem loc. cit. n. 39; Roderiquez, loc. cit.; Layman, l. c.; Gutierrez, l. c. n. 6, et seqq; Hyacint. Donatus, loc. cit. et plures alii ab eo citati, negative respondent, quorum potissima ratio est, quod cum in Bulla Pii V. exprimitur solummodo casus bonum commune concernentes, et casus particularis alicujus monialis non censeatur ei similis, consequenter ad eum dispositio juris minime extendenda, præsertim cum habeat clausulam *taxativam*. Accedit, quod Pius V. causam infirmitatis, quæ non est periculosa communitati, pro insufficienti expresse declaraverit.

33. E contra Navarrus *Commentar. 4. de Regul.* n. 49; Suarez, tom. IV, *de Relig.*, lib. I, *de Obligat. relig.*, cap. IX, n. 9. Azorius, p. 1, lib. XXIII, cap. VIII, q.; Peyr., tom. II. *Privileg. minim.* in Constit. 6. Pii V, n. 24; Navarrus, in *Lucerna Regul.* §. *Clausura*; Pirhing, h. t. n. 34; Barbosa ubi supra, probabilius sentire videntur, etiam ob graves causas bonum particulare, vitam v. g. alicujus monialis concernentes, concedi posse egressum e clausura, si non nisi egrediens curari potest, quod probatur tum rationibus supra n. 30. positis, utpote etiam hic militantibus: tum quia defensio naturalis nemini est auferenda, Clem. *Pastoralis*. 2. §. *Cæteram de Sent. et re judicat.* facultas autem defendendi vitam est naturalis, l. *Ut vim. ff.*

de Justit. et jur.; tum quia juxta communem etiam adversariorum. leges humanæ non obligant cum gravi damno, præsertim periculo vitæ; tum etiam, quia verisimile non est. Pontificem cum dispendio vitæ voluisse moniales in particulari obligare ad clausuram. Accedit declaratio cardinalium, quam allegat Suarez, loc. cit. n. 8, et refert Hyacint. Donatus, ubi supra illis verbis: « Curandæ valetudinis gratia ad balnea monialium ire posse. Sedes apostolica concessit, dum tamen eat, cum honesto comitatu personarum, quem ordinarius dandum censuerit, atque tam eundo, quam redeundo, nullum ad locum extra viam rectam diversat, neque diutius maneat apud ipsa balnea, quam ob curandam sanitatem necesse fuerit. » Similem etiam ad instantiam marchionis Fuscaldi pro egressu sororis suæ germanæ, obtentam offert Navarrus, loc. cit. ergo.

34. *Solvitur objectio.* — Nec obstant fundamenta adversariorum. Negatur enim, quod Pius V. solas allegarit causas bonum commune concernentes; cum posuerit etiam incendium, quod facile monialem unam aliquam deprehendere potest, ut cæteris in clausura salvis ipsa perire deberet, nisi e clausura fugeret. In quo casu sane negare non possunt adversarii, quod liceat tali moniali fugere, sicut et in aliis casibus, in quibus periculum vitæ, vel alterius gravis damni immineret alicui moniali soli, v. g. si quis monialem insequitur, ut occidat, mutilet, vel lascive opprimat: quis enim neget, in simili casu licere e claustris fugere, si alia via evadendi non superest. Ad textum Pii V. infirmitatem pro causa insufficienti declarantem, dico, eum solummodo velle, quod non quævis infirmitas etiam periculosa moniali ordinarie causa esse possit claustrum egrediendi (hoc enim ansam præberet, clausuram passim violandi) non item prohibere, quin saltem in eo infirmitatis casu egredi liceat, in quo nisi egressa curari nequit. Et ita pie interpretari jubent fundamenta pro nostra doctrina allegata, et bene advertit Pirhing, loc. cit.

35. *Illatio practica de balneis.* — Infertur proin, posse moniali concedi egrediendi licentia in quavis infirmitate gravi, quæ non nisi extra clausuram curari potest: et quidem non tantum quando urget periculum vitæ, sed etiam quando alias perpetuo misera, doloribus, et gravi infirmitati subjecta

manere deberet monialis, id quod recepta confirmat praxis et consuetudo, « quæ est optima legum interpretis, » l. 37. ff. *de Legibus*, cum videamus a doctissimis ac piissimis ordinariis absque scrupulo monialibus etiam in particulari impertiri licentiam, ad balnea extra clausuram sanitatis causa peragendi. Item potest monialis aliqua etiam correctionis causa ab uno monasterio ad aliud mitti; prout nota Barbosa, loc. cit. et concedit etiam Sanchez, loc. cit., n. 47; Miranda, de *Sacris monial.*, q. 3, a. 2, §. *Quartus casus.*

36. *Causam egrediendi e clausura approbare, et licentiam dare pertinet ad episcopum.* — Resp. II. An causa egrediendi sufficiens sit et legitima, solus loci ordinarius seu episcopus cognoscere et approbare, eaque cognita concedere, vel negare debet licentiam in monasteriis non exemptis: in exemptis vero idem episcopus cum superiore ordinis. Prima pars est certa apud omnes. Patetque clare ex Tridentino concilio, sess. 25. cap. v. *de Regular.* ibi: « Nemini sanctimonialium liceat exire e monasterio, nisi ex aliqua causa ab episcopo approbata. » et ex constitutione Pii V. citata supra, n. 28.

37. *Etiam in monasteriis exemptis.* — Secunda pars docetur a Sanchez, loc. cit. lib. VI, cap. xv, n. 28; Hyacint. Donato, loc. cit. q. 5; Pirhing, h. t., n. 37, cum communi et hodie certa aliorum, contra nonnullos a Sanchez citatos, volentes sufficere in monasteriis exemptis solum superiorem ordinis. Probatur autem tum ex textu concilii universaliter, et indistincte loquentis; consequenter indistincte intelligendi, arg. l. *de Pretio. ff. de Publician. in rem action.*; tum et quidem evidenter ex constitutione Pii V, n. 28, citata, in qua § 2. postquam allegatæ sunt causæ exeundi, inter alia etiam infirmitas certa posita, addit: « Quæ tamen infirmitas præter alios ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per episcopum, seu alium loci ordinarium; etiamsi prædicta monasteria ab episcoporum, et ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a præfatis monasteriis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere. » Hinc si superiores ordinis absque interventu episcopi licentiam exeundi præbent, tanquam violatores clausuræ ab episcopo puniri possunt, et debent, prout

dēclaravit sacra Congregatio apud Donatum, loc. cit., n. 7.

38. *Clausuram monialium ingredi nemo potest.* — Quæritur IV. In quo consistat, et quantum se extendat obligatio clausuræ monialium quod ingressum? Resp. eam consistere in hoc, quod nemo sive vir sit, sive fœmina, absque peccato mortali et pœna excommunicationis ipso facto, incurrenda; clausuram monialium ingredi possit, nisi legitimam causam habeat et licentiam ab iis, qui concedere possunt. Unanimis, perclara, ut c. un. *de Statu Regul.* in 6; ibi: « Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ (nisi rationabilis et manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinet licentia) ingressus, vel accessus pateat ad eandem. » Et concil. Trident. cit. sess. 25. *de Regular.* cap. v, ibi: « Ingredi autem intra septa monasterii (monialium) nemini liceat, cujuscunque generis, conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine episcopi, vel superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. » Accedit constitutio Gregorii XIII. *Ubi gratiæ*, quæ est ordine 28. in *Bullar. Cherub.* ubi etiam revocat omnia privilegia ingrediendi a quocunque, et cuicunque concessa. Ratio hujus clausuræ quoad ingressum insinuatur cit. c. 1. *de Statu Regul.* in 6, illis verbis: « Ut sic a publicis, et mundanis conspectibus separatæ omnino Deo servire valeant liberius, et lascivendi opportunitate sublata eidem corda sua et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire. »

39. *Exceptis infantibus; non item adultis imentibus.* — Limitatur tamen conclusio I. in pueris et puellis, qui defectu ætatis nondum adepti sunt usum rationis, prout probabilis docent Roderiquez, tom. I, q. 46, a. 1; Sanchez, lib. VI, n. 14; Barbosa, allegat. 102, n. 31; Miranda, *de sacra Monial.* q. 2, a. 1, concl. 1; Layman, loc. cit., n. 2; Pirhing, h. t. n. 41; Hyacint. Donatus, t. IV, tract. V, q. 41, et communis aliorum, contra Paul. Comit. *Respons. moral.*, lib. VI, q. 49, n. 6, et paucos alios. Ratio est, quia in his cessat ratio Legis prohibentis, periculum nempe, ne moniales incitentur ad peccatum: cessante autem, vel corrente ratione et in fine legis, nec ipsa lex currit, arg. l. *In omni.* ff. *de Adopt.* Accedit praxis et consuetudo passim recepta, quæ est optima regum interpres, lib. XXXVII. ff. *de Legib.* Aliud est de amentibus, vel usu debitæ ra-

tionis carentibus puberibus vel adultis; quamvis enim hi intrando non peccent, peccant tamen moniales, et alii eos admittendo, utpote in quibus ratio legis, periculum nempe monialium, æque imo subinde magis quam in aliis militat; cum tales turpiter jocando, aut loquendo, et silentium perturbare possent moniales; quæ ipsæ etiam liberius talem, quam alium ad illicita admittere, vel incitare possent: uti cum communi aliorum bene observat Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. xvi, n. 5 et 8; Hyacint. Donatus, loc. cit., n. 41; Layman, lib. IV, tract. IV, cap. XII; n. 2; Pirhing, h. t. n. 41; Roderiquez, loc. cit. et alii.

40. *Dissuadetur infantium admissio ad clausuram.* — Imo monent doctores, ut Donatus, loc. cit., n. 44, non facile et passim admittendos esse infantes, quantumvis juvenes etiam adhuc lac sugentes, sed potius prohibendum esse, ne admittantur, eo quod et in his subinde periculum labendi quod aspectus et tactus nascatur monialibus saltem tentationi carnali subjectis. Certe superiores, id saltem cavere deberent, ne hujusmodi infantes præsertim masculos admissos permittant cum una sola commorari, nisi circumstantia ipsius monialis omni exceptione et suspitione omnino majoris aliud suadeat.

41. *Puellæ possunt educationis gratia clausuram ingredi cum certis conditionibus.* — Limitatur II. In puellis, quæ bonæ educationis, et instructionis gratia ingrediuntur; hæ enim de licentia episcopi, vel superioris cum consensu superiorissæ admitti possunt, dummodo certæ servantur conditiones. Quarum prima est, ne id ab instituto religionis specialiter prohibeatur. Secunda, ut præter consensum superiorissæ adsit scripta licentia episcopi, vel superioris. Tertia, ut ibidem sine famulabus et ancillis degant, quantumvis nobiles sint. Quarta, ut clausuram eodem modo, quo moniales servant; ac proin nunquam egrediantur, egressæ autem non amplius admittantur, nisi valetudinis causa ab balnea v. g. vel alias curandæ egrediantur. Quinta, ut in monasterio decenti habitu virginali incedant. Sexta, ut ultra annum 25. ibidem non retineantur. Septima, ut quando parentes eas petunt, illis illico extradantur. Octava, ut sint separatæ a loco monialibus destinato, et a novitiis ad dormiendum, ac operibus manuum vacandum. Roderiquez, tom. I, q. 46, a. 10; Miranda, loc. cit. q. 2, a. 6, consil. 1; San-

chez, lib. VI. cap. xvi, n. 61 et 62; Sorb. in *Compend. Privileg.* §. *Ingressus monasteriorum monialium*, in suis annot.; Zerola in *Praxi episcop.* in 2. edit. p. 1. §. *Moniales*, ad decimum quæsitum, et alii. Atque desumitur ex pluribus cardinalium declarationibus, quas per extensum vide apud Roderiquez, loc. cit., ubi inter alias etiam una est dicens, mulieres nuptas, et viduas monasteria similiter ingredi non posse, nisi velint fieri moniales, quod etiam observat post Barbosa, lib. I. *Jur. eccles. univ.* cap. 44, n. 99. et 101; Pirhing, h. t. n. 41.

42. *Ac etiam regiæ personæ.* — Limitatur III. In imperatoribus, et regibus, imperatricibus, et reginis, earumque filiis, et filiabus; Roderiquez, tom. I, q. 48, a. 1; Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. xvi, n. 3, et cap. xvii, n. 5; Pelliz., tom. I, tract. X, cap. v, sect. 3, q. 39; Bonacina, p. 1. *de Clausura.* q. 4, n. 4; Hyacint. Donatus, tom. IV, tract. IV, q. 42. et tom. I, tract. IV, q. 49; Layman, lib. IV, tract. IV, cap. XII, et alii contra quosdam alios, quorum sententiam merito censet probabilem Bonacina, loc. cit. præcipue quod jura, n. 38. citata indistincte omnibus personis « cujuscunque conditionis existant, » ingressum prohibeant. Nostra autem limitatio probatur ex eo; tum quia supremæ similes personæ, speciali nota dignæ, non comprehenduntur sub generalibus verbis legis, nisi exprimantur, arg. c. *In generali.* 81. *de Reg. jur.* in 6: tum quia in odiosis nomine femina non veniunt præfata personæ, nisi exprimantur, ut bene advertit Hyacint. Donatus, tom. I, tract. IV, q. 9; tum etiam quia summi Pontifices, ut Gregorius XIII. in constitutione, *Ubi gratiæ* ordine 28. in *Bullar. Cherub.* et Paulus V. et Pius V. dum revocant privilegia intrandi clausuram concessa, etiam comitissas, marchionissas, et ducissas expresse nominant, de altioribus tacent; ergo hoc ipso eos non comprehendendi, satis innuere videntur, cum facile exprimere potuissent, et non expresse-rint; tum quia odia restringere, et favores ampliari debemus, c. *Odia.* *de Reg. jur.* in 6. Accedit declaratio cardinalium apud Hyacint. Donatum, loc. cit. dicens, quod per constitutionem Gregorii XIII. non derogetur facultati personarum de regia stirpe intrandi clausuram.

43. *Solvitur objectio.* — Nec obstat præcipuum fundamentum adversariorum, cum, uti dictum, sub generalibus verbis regis, in

odiosis non veniant personæ speciali nota dignæ. Nec obstat, quod addatur « cujuscunque conditionis existant: » sicut non obstante, quod etiam Tridentinum dicat, « cujuscunque ætatis, » tamen infantes ratione carentes admittantur in clausuram; quia dicta verba intelligenda sunt in sano sensu.

44. *Comitatus honestus solitus potest cum personis principibus ingredi.* — Limitatur IV. In personis ad honestum et decentem comitatum præfatarum supremarum personarum clausuram ingredientium spectantibus, seu quæ eas alias comitari solent. Doctores, n. 42. citati, præsertim Sanchez, loc. cit., cap. xvii, n. 5 et 6; Pirhing, loc. cit.; Hyacint. Donatus, loc. cit. q. 12, n. 8, arg. c. *Licet de Privileg.* in 6. ubi habetur privilegium concessum alicui personæ, ut tempore interdicti possit audire divina, extendi etiam ad personas eas comitari solitas. Sicut etiam licet cum publice denunciatis excommunicatis communicare graviter et universaliter sit prohibitum, id tamen domesticis et famulis concessum censetur, juxta communem. Ratio est, quia non est verisimile, quod Pontifices præfatis personis facultatem intrandi clausuram indulgentes, velint eas solas sine comitatu dignitatem decente ingredi; uti bene observant doctores citati.

45. *Quotnam personæ in tali comitatu admitti possint?* — Quotnam autem personæ, occasione talis comitatus admitti, et clausuram ingredi queant? certa ac determinata regula pro cunctis dari plane non potest: cum nec jura de hoc aliquam mentionem faciant, nec doctores aliquem numerum specificent, sed a potiori dicant, eas omnes, quascunque tandem sive viros, sive fœminas admittendas esse, quæ alias similes sublimes personas comitantur; quamvis aliqui suadeant, ut paucæ sint, æque seniores, ac probatæ vitæ. Quoniam vero id solido fundamento non probant, arbitrio prudentum superiorum relinquendum videtur, quotnam et quales personæ consideratis ingredientium principalium qualitatibus ac circumstantiis ad comitivam admittendæ sint. Ubi tamen nec mathematicæ, nec minus scrupulose, vel anxie, nec semper necessario, eadem mensura, et numero (nisi ordinis constitutiones, aut consuetudo aliud exigant) sed moraliter procedendum, hoc ipso, quod quædam personæ sublimes majorem, aliæ minorem comitatum ordinarie habere et soleant, et decens sit.